

NOS PATRES in Annot. ad Indiculum Possidii existimare, Calamensem hunc Episcopum per librum *contra quaestiones Pelagianistarum* intelligere vel librum seu *epistolam 157. ad Hilarium*, vel *librum de perfectione justitiae hominis*; & GARNERIO l. c. p. 253. & 257. videri Possidium hic digitum intendere in libros Hypomnesticon, quos falso adscripsit Augustino. Verum Benedictinis ideo subscribere nequeo, quia Possidius ex utraque illorum conjectura unum idemque scriptum bis & ad instar duorum scriptorum recensisset, quod *παρόργα* in Viro Augustini studiosissimo & in lectione librorum ejus versatissimo non est credibile: Garnerii autem conjectura ideo non potest placere, quod libri Hypomnesticon non quaestionibus sed dogmatibus Pelagianorum dicuntur oppositi; quod Possidius, si eosdem libros intellexisset, sine dubio titulo Hypomnesticon, quem Praefatio illorum indicat & exponit, recensisset; & denique, quod Possidius non videtur potuisse Augustino libros hosce, errore ipsi vix condonando, assignare. Id tamen facilius concederem, Possidio vel ob irruptionem barbarorum in Africam ultima Augustini scripta non fuisse satis cognita, vel sub imperfectis libris, quos Augustinus morte praeventus reliquisse ipsi dicitur in vita Augustini cap. 28. comprehendi etiam libros de praedest. Sanct. utroque enim casu intemerata manet auctoritas Possidii quoad libros ab Augustino ante has turbas conscriptos, inter quos locum habere deberent libri Hypomnesticon, si quidem essent Augustini.

§. IX.

Jam ad illa progrediemur argumenta, quae ex libri ipsius lectione petuntur, & quo minus difficultatis, eo plus probabilitatis, imo certitudinis habent. Primum locum hic assignare licet stilo. Qui enim stilum alicujus auctoris e genuinis ejusdem scriptis assidua lectione atque attentione Philologis propria,